



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 26. Humilitas prodit suos defectus, miserias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

§. XXVI.

Humilitas prodit suos defectus, miseriae &c.

Pastores sumus. Gen. 46. 34. Nota Josephi modestiam, prudentiam, simplicitatem. Modestiam: quia in aula Pharaonis sciri cupit se esse fratrem pastorum; cum tamen versu ultimum dicatur: *desistantur Aegyptij omnes pastores ovium*. Prudentiam: quia fratres in aula habere non satagit; ne aulicorum moribus corrumpantur. Simplicitatem: quia fratres ad status non evehit; sed in arte pastoritia, quam callebant, conservat. Aliiter faciunt hodie; qui, cum humilissimi generis sint, tamen nobiles videri volunt &c. Cornelius hic.

Non possum sic incedere, quia non usum habeo. 1. Reg. 17. 39. Et deposuit ea, & tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus. v. 40. Non dixit, arma ista meis non aptantur membris; vel, nimis gravor lorica; sed, *non habeo usum*. Ingenue, se militem non esse, fassus est: quin, armis abjectis, pastoralia praeferebat insignia, occurrit hosti; humilitate verius, quam fortitudine, pugnaturus. Oliva l. 6. Strom.

Quis ego sum? Domine Deus! & quae domus mea, quia adduxisti me hucusque? 2. Reg. 7. 18. Noverat se pastorem esse ovium, & non genere nobilitatum. Sed, quando factus est nobilis, agnovit, se ex nihilo esse sublevatum. Et quia non est oblitus, qui natus erat; perseveravit in culmine regali. S. Chrysost. hom. de David.

Verba Feremia filij Helcia - qui fuerunt in Anathoth Jerem. 1. 1. Exorditur oracula sua à probris suis: indicat enim patriam, quae obscurissimi in Judaea nominis. S. Hieron. fuit Anathothites, qui est usque hodie viculus tribus ab Hierosolymis distans miliaribus.

Unus - de circumstantibus - amputavit illi auriculam. Marci 14. 47. S. Chrysost. hom. 49. in Matth. hunc locum Marcus, qui Petri discipulus fuit, ideo scripsisse videtur: quia ingens hic honor Magistro deferebatur: & quae ad Magistri laudem pertinent, ipsò forsan deprecante, ne magnifica de eo diceret, omnino siluit.

Ille verò dicebat, quia ego sum. Joan. 9. 9. Qui divinò afflantur spiritu, non erubescunt abjecta secundum carnem natalitia memorare: nec favoribus divinis everti dedignantur primævam mendicitatem fateri dicentes: quia ego sum ille pauperculus, ille mendicus, ille obscuris natus parentibus. Baeza. t. 2. l. 10. c. 3. §. 11.

Humilitati idem, quod invidia, est ingenium: nisi quod erga se humilitas laudabiliter agit, quod invidia circa alios perversè. Invidia alienas prerogativas perspicue intuetur, & noscit; & tamen miris artibus infuscat, & experta negat. Ipsissimum est humilitatis ingenium: ipsas, quas operatur virtutes, nescio quibus artibus minuit; & oculatissima semper, ut faciat; est oculatissima semper, ne videat. Naxera in Jos. 2. §. 23.

Vide plura tit. Gloria.

§. XXVII.

Humilitatis varij alij actus, & proprietates.

Dominus, qui fecit Moysen, & Aaron. 1. Reg. 12. 6. Fecit, id est, ornavit, & multis beneficiis illustravit. S. Gregorius hic: notandum, quia cum Samuel Dominum testem suae innocentiae assereret; ipsum Dominum fecisse Moysen, & Aaron, dixit. Quid est hoc aliud? nisi quia & virtutis suae culmen ostendit; sed in tanto culmine solus apparere noluit, quali dicat: in tanta animi virtute mirandus non sum, quia in ea solus non sum. Vir humilis, quò illustrior est, eò magis appetit illustrium virorum comitum; ut illorum splendorebus offuscetur. Mendoza in 1. Reg. 12. v. 6.

Percussit cor suum David; eò quòd abscessisset oram chlamydis Saul. 1. Reg. 24. 6. Davidis factum etiam hostes in admirationem rapuit, Saul laudat, satellitum deprædicat, omnes demiranturn. Sed David, quia sui operis rigidior censor erat, aliquid dolore dignum invenit. Naxera in Jos. 5. §. 6.

Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus. Job. 42. 7. Cum tamen ipse ad examen se reducit, ait: *insipienter locutus sum* v. 3. 6. *idcirco ipse me reprehendo.*

Viri sancti aliena opera, etiam parva, mirantur: sua verò, etiam magna, despiciunt. S. Gregorius mor. l. 26. c. 26.

Qualis quisque apud se lateat, contumelia illata probat: nam, sicut superbi honoribus, sic plerumque humiles suâ despectione gratulantur. Idem Dialog. l. 1. c. 5.

Semper tibi displiceat, quod es; si vis pervenire ad id, quod nondum es: nam ubi ubi percipisti, ibi remansisti. S. August. serm. 15. de V. Apolt.

Humilis innocentia semper formidolosa, semper sibi ipsi suspecta est. Facile, quod sibi obijciatur malum, in se latere, seu habere, se putat. S. Laurent. Justin. de triumph. ag. cap. 5.

Dicere solitus erat Isaïas Abbas, humilitatem nec linguam habere, quâ de aliquo negligenter, aut superbo loqueretur; neque oculos, quibus aliorum errata perspiceret; neque aures, quibus ea, quæ animæ suæ non prodescent, audiret; nihil denique habere negotij, nisi cum peccatis suis. Isidorus or. 8.

Miscellanea.

Vulpes foveas habent. Matth. 8. 20. Scriba repellitur à sequela: quia difficillimum est, ut alta sapiens, & prudentia carnis imbutus, in veritate velit deijci, & in humilitate Christi vestigia sequi. Simon Cassia l. 9. c. 16.

Ex hoc jam homines eris capiens. Luc. 5. 10. Ex hoc scilicet, actu submissionis, quò scis, te hominem peccatorem profiteri: *exi à me quia homo peccator sum Domine.* Elscobar t. mir. Chr. sect. 6. obl. 2.

Sedebas sic. Joan. 4. 6. S. Chrysost. & Euthymius: sic, id est, non in sella, non in loco hono-